



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Francisci Svarez, Granatensis, E Societate Iesv
Doctoris Theologi, Et In Conimbricensi Academia Olim
Primarij Theologiae Professoris emeriti, Opvs De Triplici
Virtute Theologica, Fide, Spe, Et ...**

Suárez, Francisco

Mogvntiae, 1622

E Collegio Conimbricense Societatis Iesv Balthasar Alvarvs Doctor
Theologvs. Ad Lectores pro Authore.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93448](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93448)



E COLLEGIO CO-
NIMBRICENSI SOCIETA-
TIS IESV BALTHASAR AL-
VARVS DOCTOR THEO-
LOGVS.

Ad Lectores pro Authore.



N *Has de Theologicis virtutibus prælectiones intra hosce parietes concluderemus, tres præcipue rationes impulerunt. Vna quod à tanto Theologo, Theologica virtutis tractatio, iure optimo expectaretur, digna scilicet tanto authore, atque argumento. Altera, quoniam maiorem huius operis, quæ de fide est, partem, tanquam partem vltimum fuderit Soarius, quo diuite sui ingenij, & sapientiæ venam, è suggestu postremum testaretur. Licet verò reliquas de Spe, & Charite disputationes, antequam ad Conimbricensem hanc Academiam vocaretur, in Hispania, vel Italia præstius (nimirum pro schola) explanaret, non possunt tamen Authoris meritum, & artem non olere. Tertia cum ob has, quas modo diximus causas, pleraque indies disputationum illarum de Fide exempla, minus fideliter describerentur, eas typographiæ beneficio, tum à vitijs amanuensium perpuratas, tum etiam studiosis omnibus facile parabiles proferre voluimus.*

Videbitur autem hoc in opere id vnum desiderari ad doctrinæ methodum (in qua seruanda vix vllum æque felicem, ac religiosum scriptorem deprehendas) primum vt in vniuersum de Theologicis virtutibus disserat: tum, quæ propria cuiusque earum sunt, exponat. Sed est in promptu responsio. Nam cum Sanctitatis nomine veniant omnes habitus gratiæ comites, in quibus maxime virtutes Theologicæ numerantur, nihil fere dicendum supererat eis commune, quod non etiam in gratiam sanctificantem conueniret. Id porro in opere de ipsa gratia nuper edito luculenter edisserit Soarius, quale illud imprimis, sint ne tales aliqui habitus per se infusi, nostris que animis adherentes? An sint adæquata suorum actuum principia? de quibus affatim in libro sexto. Secundò, an prædicti habitus concursus gratiæ specialem poscant, vt in actus prodeant suos, an potius sufficiat generalis? quod in libro secundo exponitur accurate. Tertio, num intendi ac remitti queant, ac etiam omnino amitti? Quod libro nono, & vndecimo latissime traditur. Si vero quedam alia magis communia eisdem virtutibus requiras, ea in tractatu quarto, de passionibus & habitibus Deo dante cudentur, quibus scripta à Sancto Thoma, in 1. 2. questione præsertim 62. & sequentibus locupletabuntur. Vale.

APPROQ.